

LOGICA MAJOR

205. **Partitio.** — In toto decursu Logicae minoris faciliora ac magis necessaria instrumenta sciendi apparavimus. Reliquum est, ut altius assurgentes animum advertamus ad difficiliore quæstiones enodandas, quarum resolutio necessaria est ut perfectam mentis disciplinam in ordine ad scientiam rerum comparandam adipiscamur. Porro quæ huc spectant, ad duo capita commode revocari possunt. Primo quidem examinanda veniunt quæ ipsam veritatis assequutionem, huiusque assequutionis causas respiciunt. In hoc enim cuiusque scientiæ finis continetur. Cum vero unaquæque scientia non quemcumque modum veritatis assequendæ sed scientificum sectetur, necesse est proprium scientiarum obiectum, nec non intimam ipsiusmet scientiæ naturam penitus perscrutari. Quatuor proinde disputationibus totam hanc materiam comprehendemus. Prima erit de veritate cognitionis. Secunda, de causa certitudinis. Tertia, de obiecto scientiarum, seu de universalibus. Quarta, de scientiæ natura.

DISPUTATIO I.

DE VERITATE COGNITIONIS

SECTIO I.

Quid veritas cognitionis et in quo actu reperiatur.

206. **Notio veritatis in universum.** — Notio veri est una e transcendentibus, quae proinde definitionem proprie dictam capere non potest. Quod si inductione aliqua declarare velimus, quid audito hoc nomine in omnium mente obversetur, id non potest melius significari, nisi dicendo cum Doctore Angelico, veritatem esse *adaequationem rei et intellectus*. Et reipsa, veritatis denominationem attribuiamus tum cognitionibus, tum rebus ipsis, tum sermoni: unde distingui solet veritas in cognoscendo, in essendo, et in loquendo. Iam age, cognitio vera nuncupatur, quia respondet suo obiecto, repraesentando illud sicuti est. Res vera dicitur, quia conformis est aut esse potest proprio eiusdem conceptui: sic, ex. gr. verum amicum dicimus, quia reipsa habet quae ad rationem amici pertinent. Locutio denique veritatem continet vel quia significat conceptum suo obiecto respondentem, vel quia consentit cum interiori animi sententia: in priori acceptione vera dicitur per denominationem a veritate cognitionis, cuius est signum, ac propterea secundum conformitatem quae intercedit conceptum inter et rem conceptam; in secunda autem acceptione vera seu verax

nuncupatur, quia non dissidet sed concordat cum mente, ac propterea etiam secundum quamdam adaequationem cum ipsa.

207. **De quanam veritate est hic agendum.** — Porro veritas in essendo, quae *ontologica* etiam nuncupatur, ad metaphysicae considerationem spectat. Veritas propria sermonis, seu veracitas, cui *mendacium* adversatur, pertinet ad philosophiam morum. Quocirca in praesenti eam veritatem dumtaxat consideramus, quae sedem habet in cognitione, ac propterea *logica* dicitur, quaeque attribuitur etiam sermoni prout est signum conceptus interioris. Hoc sensu describi potest: *Adaequatio seu conformitas cognitionis cum obiectis*. Hinc Augustinus. * Cui manifestum est, falsitatem esse, qua id putatur esse, quod non est, intelligit, eam esse veritatem, quae ostendit id quod est. . (De Vera Relig. c. 36.) Adverte autem, minime postulari ad rationem veritatis adaequationem illam, quae est propria conceptus *comprehensivi*, quo videlicet res perfecte omnino intelligitur, quantum eius intelligibilitas late patet. Id enim repugnat communi hominum sensui. Sufficit proinde, ut obiectum sub eo respectu, quo percipitur, notioni concordet, quemadmodum etiam in corporalibus ut vera habetur imago, quae in eo quod repraesentat suo typo concordet, etsi non omnia repraesentat quae in eo inveniuntur.

208. **Utrum et qua ratione cognitio possit esse necessario vera.** — Ex iis, quae dicta sunt, facile intelligitur, cognitionis actu quandoque contingenter, quandoque autem necessario veritatem inesse. Sic, qui affirmat ex motivo aliquo fallibili, Petrum ex. gr. sedere Petro sedente, veram habet cognitionem; sed quia etiam in sensu composito huius affirmationis, fieri potest, ut res aliter se habeat quam affirmatur, hinc nulla est in huiusmodi actu connexio necessaria cum suo verificativo ac propterea veritas ei contingenter convenit. Contra habetur in cognitione, quae dicit Deum esse; neque enim fieri potest, ut Deus non sit, et consequenter ut talis cognitio veritate careat. Haec autem necessitas veritatis ex duplici

capite enascitur, videlicet vel ex perfectione ac natura obiecti, vel ex perfectione ac natura ipsius actus quo cognoscitur. Primo modo cognitio erit necessario vera, si versetur circa obiectum cuius naturae repugnat ut aliter se habeat. Tales sunt cognitiones omnes, quae enuntiant de subiecto praedicatum quod per se ei convenit. Secundo modo cognitio est necessario vera, si actus cognoscendi *ex proprio tendendi modo* non est indifferens ad verum et falsum, sed necessario postulat ut obiectum supponatur ita esse ut ab actu enuntiat. Ita se habet cognitio naturaliter evidens vel supernaturali lumine infusa. Hinc patet, hunc secundum modum necessitatis posse inveniri in cognitione obiecti contingentis, et contra deesse in cognitione obiecti necessari. Sic, qui affirmat ex. gr. veritatem mathematice demonstratam, sed ductus unice ex auctoritate aliqua fallibili, habet quidem cognitionem de obiecto necessario, sed non ex natura actus, quippe qui ex intrinseca sua conditione fallibilis est. Qui contra inuenitur in sua praesentialitate factum aliquod contingens, habet quidem cognitionem de obiecto contingenti, sed ex suo tendendi modo plane infallibilem. Utrouque modo dicenda est necessario vera cognitio, qua quis vel fide divina credit, vel evidenti demonstratione scit *Deum esse*.

209. **Quaestio pertractanda.** — His tanquam facillimis in antecessum constitutis, quaestio sane gravis hic exurgit, quae nec omitti debet nec obiter pertractari. Iam age, communi hominum loquendi more constat, orationem dumtaxat enuntiativam speciali quodam modo verum aut falsum continere. Contra, si vel voces incomplexas pronuntias, vel vocem quidem complexam sed nihil oratione tua affirmando vel negando, proferes utique aliquod quod est *vere* vox et *vere* signum, sed nemo iudicabit te verum aliquod, vel falsum pronuntiare vel dicere. Voces autem sunt signa intellectus. Hinc veritas diversimode inveniri dicenda est in simplici mentis apprehensione, et in eiusdem mentis compositione, qua praedicatum aliquod de subiecto affirmando vel negando enuntiat. Quaeritur proinde, in quo haec diversitas sit reponenda.

THESIS I.

Veritas per iudicium in mente habetur, sicut cognita in cognoscente: in simplici autem apprehensione inveniri dicitur, vel ut in quadam re vera, vel prout iudicium imitatur.

210. **Probatur I. pars.** — Quemadmodum supra indicavimus, agentes de natura enuntiativae orationis [111], ope mentalis compositionis, quae in iudicio continetur, ita aliquid mente apprehendimus, ut simul dicamus seu pronuntiemus illud reipsa se habere vel non habere prout apprehendimus. Hinc patet ratio assertionis. Nequit enim haberi talis cognoscendi modus, nisi pro eo quod mens cognitionem suam referat ad rem intelligibilem prout in se est. Atqui hoc perinde est, ac cognoscere et quodammodo sentire conformitatem quam intellectus cognoscendo habet cum re intelligibili. In huiusmodi autem conformitate consistit veritas. Ergo per iudicium veritas in mente habetur sicut cognita in cognoscente.

Dices. Si res ita haberet, veritas propria iudicii non esset in mente, donec reflexe diiudicemus de veritate prioris iudicii habiti. Hoc autem dici non potest; nam etiam in iudicio directo habetur veritas distincta ab ea, quae inest simplici mentis apprehensioni.

Respondeo, *negando illationem*. Quod ut intelligatur, et res ipsa plenius explicetur, sciendum est conformitatem conceptus cum obiecto, quae constituit veritatem cognitionis, dupliciter intelligi posse, pro duplici ratione qua ipse conceptus considerari potest. Primo itaque intelligi potest conformitas, de qua loquimur, ita ut comparetur conceptus *obiectivus* cum re ipsa materialiter spectata, ac propterea dicatur veritas consistere in adaequatione rei, prout *est intellecta*, cum ipsamet re, prout *est in se*. Alio modo potest ita intelligi, ut comparetur ipse conceptus

formalis cum re, quatenus haec est naturaliter significata ab eo. Utrumque verum est, et utrovis modo rem declaraveris, non decipieris. Iam vero in utroque explicandi modo minime requiritur iudicium reflexum, quo mens conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere dicitur. Et in prima quidem explicatione res per se patet: res enim eiusque ratio intellecta terminant primam mentis intentionem ac propterea pertinent ad ordinem directum nostrarum cognitionum. Quod si alteram interpretationem elegeris, ita rem explicabis cum Suarez. * Intellectus noster, ait, per unum simplicem conceptum non concipit adaequate neque exhaurit distincte et clare rem conceptam, sicut faciunt Deus vel angeli, et ideo postquam aliquo modo confuse et inadaequate illam concepit, ut illam distincte et adaequate cognoscat, illi attribuit plura praedicata sive re sive ratione tantum distincta. Sicut autem Aristoteles de vocibus dixit, quia res non possumus adducere ad scholas, utimur terminis pro rebus, ideoque quando affirmamus unam rem de alia, id exterius non facimus nisi mediante voce significante et quatenus significans est; ita quando mente unum de alio affirmamus, quamvis praecipue intendamus rem de re affirmare, id tamen non facimus nisi per conceptus, quatenus naturaliter nobis representant res. Atque hinc fit, ut dum componimus unam rem conceptam cum alia vel cum ipsamet alio modo concepta, comparando rem ipsam simul in actu exercitio comparemus conceptum nostrum ut representantem illam rem: ut v. gr. quando intellectus componendo dicit *hominem esse album*, formaliter et directe cognoscit identitatem vel coniunctionem, quam album habet cum homine; simul tamen in actu exercitio ipso cognoscit conceptum *albi* aliquo modo continere sub se *hominem* et representare illum et consequenter esse illi aliquo modo conformem. Atque ita dum mens affirmat hominem esse album in actu exercitio affirmat veritatem, seu hoc esse verum, quia dum affirmat album inesse homini, affirmat conceptum *albi* veram aliquam conformitatem habere cum homine. » (*Metaph.* D. 8, sect. 3. n. 18.)

211. *Probatur II. pars.* — Intellige primum quod dicimus. Simplex mentis apprehensio, ut res ceterae, ontologicæ vera sit oportet, sive in *essentia*. Haec porro veritas sita est in eo, quod reipsa habeat, quae sunt de ratione ipsius in quantum simplex apprehensio est. Est autem de ratione simplicis apprehensionis, prout huiusmodi, ut in mente vitali representatione quodammodo reproduceat obiectum aliquod, quin sententia feratur, num res ita in se habeat nec ne. Si itaque simplex mentis apprehensio ita inspicitur, dicitur esse *res* quaedam vera. Potest praeterea aliter considerari, videlicet prout umbram quandam iudicii refert illudque imitatur. Id autem locum habet in apprehensionibus complexis, maxime ubi fuerint effectus praecedentis iudicii iam habiti, vel occasionem sive suasionem aliquam contineant iudicii ferendi. Hoc modo se habet ex. gr. apprehensio hoc termino complexo significata, *Deus omnipotens*, quae excitatur in mente illius, qui iam iudicavit, *Deum esse omnipotentem*: similiter dicendum de apprehensionibus ex obiectis sensibilibus acceptis, quibus subiectum una cum proprietate aliqua menti contemplandum offertur. Utrumque si contingat, *complexio* illa qua haec concipiuntur, tametsi per se non sit nisi mere apprehensiva, umbram quandam refert copulae sui compositionis mentalis, quae est iudicii propria, et sic *virtuale* quoddam iudicium est ac dicitur.

Hac explicatione praehabita, liquet probatio intenta. Nam si primo modo simplex apprehensio consideretur, aliquid profecto vitaliter representat; repugnat enim representationi quae nihil refert. Representatio autem adaequationem aliquam seu conformitatem continet cum eo, quod representat. Ergo simplex apprehensio, eo ipso quod sit res quaedam ontologicæ vera, aliquo modo particeps est conformitatis mentis cum obiecto, in qua conformitate consistit veritas logica seu cognitionis. Sin vero alio modo consideretur, cum iudicium imitetur, ut dictum est, oportet imitetur etiam quod ad iudicium pertinet, prout tale est. Atqui iudicium est proprium subiectum veritatis in cognoscendo, quatenus nempe ipsa veritas iudicio cognoscendo,

scitur. Ergo simplex etiam apprehensio, quatenus iudicium imitatur, praedictam veritatis cognitionem imitetur etiam necesse est.

212. *Corollarium.* — Ex dictis inferitur, veritatem quae priori titulo in simplici apprehensione invenitur, ei convenire *proprie et essentialiter*: sic enim res omnes dicuntur verae in essendo. Contra, veritas quae secundo modo ei attribuitur, non nisi *analogice* de ea praedicatur, videlicet in ordine ad iudicium, quod imitatur et per denominationem a veritate ipsius.

SECTIO II.

De veritate propositionum singularium de futuro contingente.

213. *Ratio tractationis.* — Morem veterum ac ipsius Aristotelis (1. *Perih.* c. 9.) sequuti, hanc controversiam hic tractandam suscipimus, quia eius resolutio, nedum utilis, sed necessaria omnino est ad gravissimas lites suo tempore decidendas. Quo vero minime transiliantur limites, quibus in praesenti quaestio haec contineri debet, quaedam in antecessum sunt diligenter animadvertenda.

214. *Status quaestionis.* — Ut itaque praesentis quaestionis cardo rite stabilietur, haec prae oculis habeto.

I. Duplex *futuri* denominatio distinguenda est cum Doctore Angelico. * Aliquid, ait, potest dici esse futurum non solum *ex hoc quod ita erit, sed quia est sic ordinatum in causis suis ut sic sit futurum.* Sic enim medicus dicit: iste sanabitur, et iste morietur; et si aliter contingat, non falsum dicit; sic enim tunc futurum erat ex ordine causarum, quod tamen possibile est impediri. Et tunc quod prius futurum fuerat consequenter non erit futurum: unde Philosophus dicit in 2. de Gener. text. 64., quod *futurus quis incedere non incedet.* (Qq. Disp. Verit. q. 12. a. 10.)

Ex quo testimonio habes, futurum aliquid dici posse primo, quia reipsa erit: secundo, quia in suis causis invenitur ordo seu dispositio ad eius productionem. Illud dicitur *futurum in se*, hoc vero *futurum in causa*. Hinc idem S. Doctor. * Dicendum, ait, quod futurum dupliciter potest cognosci: uno modo *in causa sua*.....; alio modo cognoscitur futura *in seipsis*, et sic solius Dei est futura cognoscere. (Summa th. 1. p. q. 57. a. 3.)

II. Cum nullum ens contingens possit esse nisi a proportionata causa efficiatur, hinc impossibile est, aliquid in seipso esse futurum, nisi dependenter a causa, a quibus esse recipiat in illa temporis differentia, in qua fore supponitur. Sed hoc non impedit, quominus in se futurum denominetur *formaliter non a causa sua efficiente, sed secundum illud ipsum esse, quo erit.* Simile habes in denominatione praesentis. Cum enim ex. gr. ego praesentia-liter video *Petrum sedere*; profecto illud, quod video, existit quidem dependenter a causis, a quibus efficitur, sed tamen formale verificativum meae visionis non sunt istae causae, sed ipsummet factum, in quod intuitus visionis fertur immediate.

III. In praesenti seponenda est quaestio de causa, a qua *efficienter* determinantur futura contingentia, ut sint potius quam non sint in illa temporis differentia, in qua fore supponuntur. Non est etiam in praesenti quaestio de *modo*, quo haec futura certo et infallibiliter cognosci possunt. Haec enim limites Logicae transgrediuntur, et alibi pertractari debent. Id unum proinde in questionem venit, utrum videlicet futurum per id, per quod formaliter est futurum, sit verificativum propositionis dicentis seu enuntiantis illud fore; adeoque talis enuntiatio sit vera determinate, praecisa qualibet dispositione causae. Luvat hic audire I. B. De Benedictis, qui hanc controversiam diligentissime pertractat. (*Philos. Peripat.* t. 1. lib. 3. q. 4.)

* Qui enuntiat lucem esse, verum habet in ipsa lucis existentia, non in causa lucis productiva. Sed lucis existentia, quod est formale verificativum, cum sit dependenter a sua causa atque etiam a Dei decreto, propositionem veram

non reddit, nisi subsit huic ipsi dependentiae et causalitati. Cum hoc tamen stat, ut veritas propositionis lucem esse enuntiantis, non sit formaliter per decretum aut causas, sed per illam intrinsecam denominationem, qua lux est potius quam non est. Hinc fit ut ea propositio sit vera, praeciso decreto et causis: non quod sit vera, si lux non pendeat a decreto et causis; sed quia si fingamus lucem esse, et non pendere, adhuc per locum intrinsecum stat eius propositionis veritas; manet enim quod enuntiat, et ita manet ut enuntiat. Idem asserimus de futuro, quod volumus per se verificare propositionem ipsum enuntiantem, praeciso decreto et quavis extrinseca dispositione causae: non quod ista per se et essentialiter non requirantur in priori ad esse futuri; sed quia non sunt formaliter requisita ad veram enuntiationem futuri, quatenus etiam ipsis praecisis, non ut causis sed ut formis, habet in se futurum talem tantaeque determinationem, ut possit per se propositionem verificare, absque eo quod decretum et causae ipsius ullaatenus pertineant ad propositionem formaliter verificandam. Distinguedum ergo est inter *verificativum et causam verificativae*. (loc. cit. c. 1.)

THESIS II.

Propositiones de futuro contingenti formaliter sunt verae non a causae praesenti dispositione, sed pro eo quod res erit vel non erit sicut propositione enuntiat. Quamobrem, ut in ceteris, ita in istis enuntiationibus oportet, altera pars contradictionis sit determinate vera, altera determinate falsa.

215. *Probatur I. pars.* — Ut enim ante dictum est [124], propositio vera dicitur, quatenus vel affirmat esse, quod in re est, vel negat esse, quod in re non est. Hinc Aristotelicum pronuntiatum communi dialecti-

corum calculo probatum, videlicet: *Propterea quod res sit vel non sit, oratio vera vel falsa dicitur.* (Categ. c. 3. De substantia) Atqui propositiones de futuro contingente, ex. gr. *Cras Petrus peccabit, vel Cras Petrus non peccabit*, enuntiant existentiam rei in sequutura temporis differentia, puta peccatum Petri pro die crastina. Ergo propositiones huiusmodi sunt verae, prout res erit vel non erit in tempore pro quo enuntiat fore vel non fore. Porro res non dicitur formaliter esse vel non esse secundum causae dispositionem, sed prout ei esse convenit vel non convenit: quemadmodum, in exemplo allato, Petrus non est formaliter peccans secundum quod peccatum consideratur in causa, sed prout consideratur in seipso.

Praeterea, propositiones de praeterito contingenti, ex. gr. *Petrus nudius tertius peccavit*, formaliter verificantur per illud ipsum esse, quod res habuit in praeterita temporis differentia, non autem per ullam praesentem causae dispositionem. Ergo idem proportionaliter dicendum de futuro. Consequentia patet: quemadmodum enim praeteritum nunc est praeteritum non per determinationem in suo esse, quam nunc habet, sed quam habuit, ita aliquid nunc dicitur fore non per determinationem in esse, quam nunc habet, sed quam habebit, neque ulla rationabilis disparitas in hoc afferri potest. Quemadmodum igitur nihil vetat, quominus propositio de praeterito vera sit, tametsi eius enuntiatum seu verificativum nunc non sit sed fuerit, ita pariter ratione nihil prohibere debet, quominus propositio de futuro vera dicatur, quamvis eius enuntiatum seu verificativum nunc non sit, sed erit.

Denique, si fingamus futurum contingens in nulla prorsus causa esse in praesenti determinatum, ac nihil Deum ab aeterno decrevisse, si nihilominus daretur productio alienius effectus contingens in aliquo determinato instanti, id satis erit ut talis effectus in praedicto instanti producat, adeoque id satis antecedenter erat, ut praedictus effectus diceretur pro eo instanti producendus. Ad rem Philosophus. * Eadem causa est eorum, quae fiunt et quae facta sunt, et quae futura sunt, quae quidem est

iis quae sunt. Nam medium causa est; nisi quod his quae sunt, medium causa est ut ens; his autem, quae fiunt, id quod fit; iis, quae facta sunt, id quod factum est; futuris vero futurum. Ut, cur orta est eclipsis? quia in medio inter lunam et solem intercessit terra: fit autem eclipsis, quia fit interiectio terrae: erit vero eclipsis, quia erit terra in medio: et est eclipsis quia est terra in medio. (2. *Poster.* cap. 12.)

216. *Probatur II. pars.* — Sequitur ex praecedentibus. Nam illud ipsum, quod formaliter verificat propositionem de praesenti vel praeterito contingenti, verificat quoque formaliter propositionem de futuro contingenti. Differentia enim temporis in his propositionibus non se tenet ex parte rei quae enuntiatur, sed dumtaxat ex parte coexistentiae vel posterioritatis aut prioritatis, quam habet respectu enuntiationis. Sic, qui hunc dicit me scribere, idem factum enuntiat, ac qui vel hesternam die dixisset, me in hoc momento scripturum, vel crastina die dicit me in hoc momento scripsisse. Atqui in enuntiationibus de praesenti vel praeterito, sive necessario sive contingenti, fatentur omnes alteram partem contradictionis esse determinate veram, alteram falsam. Ergo idem dicendum in propositionibus de futuro.

Confirmatur praeterea et apertissime ex primo principio exclusi medii, *Quodlibet aut est aut non est.* Supponamus enim non esse verum hoc enuntiabile, videlicet *Petrus crastina die peccabit*; supponamus etiam nec esse verum hoc aliud enuntiabile, videlicet *Petrus crastina die non peccabit*. In hac hypothese formetur haec propositio disiunctiva, *Vel Petrus crastina die peccabit vel Petrus crastina die non peccabit*. Huiusce disiunctivae enuntiationis neutrum membrorum, quae disjunguntur, supponitur verum. Atqui propositio disiunctiva vera non est, cuius nullum membrum est verum [129]. Ergo praedicta propositio disiunctiva non est vera, ac propterea non est verum primum evidentissimum principium exclusi medii, *Quodlibet aut est, aut non est*, quod perinde est ac subvertere ipsum principium contradictionis ac scientiam omnem.

Solvuntur difficultates.

217. *Obiectio I.* — Denominatio futuri est realis, et convenit rei de praesenti. Ergo nunc debet esse aliqua forma realiter existens, quae rem denominet futuram. Atqui nihil huiusmodi assignari potest, praeter praesentem causae dispositionem.

Respondeo. Hoc argumentum patitur manifestam reversionem in propositionibus de praeterito. Id enim unde formaliter veritatem habent hae propositiones, certe minime existit quando dicuntur verae, neque propterea id obest, quominus verae dicantur. Quapropter sic directe respondeo.

Dist. 1. part. mai. Denominatio futuri est realis partim extrinseca secundum non esse, quod dicit de praesenti, partim vero intrinseca secundum esse, quod dicit de futuro, *conc.*; est realis secundum aliquid adaequatae praesens, *subdist.*; si sermo sit de futuratione causali, *conc.*; si sermo sit de futuratione formali, *neg.* *Dist. pariter 2. partem.* Et convenit rei de praesenti, secundum considerationem logicam, quatenus tota simul enuntiat per propositionem et significatur per nomen, *conc.*; si accipiat physice, *subdist.*; secundum non esse, quod dicit de praesenti, *conc.*; secundum esse quod dicit de futuro, *neg.* Et *sub data dist. nego consequens.*

Obiectio II. — Nequit propositio esse determinate vera, donec eius obiectum sit determinatum. Atqui obiectum propositionis de futuro contingenti non est determinatum nisi per causae dispositionem. Ergo non est veritas determinata in huiusmodi enuntiationibus nisi per causae dispositionem.

Respondeo. *Conc. mai. Dist. min.* Si sermo sit de determinatione rei, prout est in causa, *conc.*; si sermo sit de determinatione rei in seipsa, *neg. Dist. pariter consequens.*

Dices. Sine decreto divino nulla res contingens habet esse quodcumque et quaecumque. Ergo independenter

a tali decreto nulla intelligi potest futuritio qualicumque nomine vocetur.

Respondeo, id nullatenus pertinere ad statum praesentis quaestionis. Profecto non negamus, requiri divinum decretum, (quale vero sit, in theologia naturali declarandum), ut res quaelibet esse accipiat in qualibet temporis differentia. Hoc tamen minime probat per divinum decretum *formaliter* verificari enuntiationem dicentis rem esse, fuisse, vel fore; hoc enim perinde esset ac Deum confundere cum creaturis.

Obiectio III. — Saltem argumentum, quo usi sumus ad secundam partem assertionis probandam, ductum videlicet a veritate principii exclusi medii, rem non videtur conficere. Nam etiam hae binae propositiones, *Dexter oculus requiritur ad videndum*, et *Sinister oculus requiritur ad videndum*, sunt falsae si seorsum enuntiantur; et tamen vera est haec disjunctio, *Alteruter oculus requiritur ad videndum*. Quidni igitur similiter loquemur de utraque parte contradictionis in enuntiationibus de futuro contingenti?

Respondeo, *negando paritatem*. Propositiones enim inductae minime sunt contradictoriae, quemadmodum contradictoriae non sunt sequentes, videlicet: *Necesse est Petrum in futuro instanti A peccare*, et *Necesse est Petrum in futuro instanti A non peccare*. Hinc nihil prohibet, quominus medium admittant, ac simul falsae esse queant.

Obiectio IV. — Aristoteles (1. *Periherm.* c. 9.), et cum eo Doctor Angelicus (*loc. cit.* lect. 13.), videntur reluctari huic sententiae. Si enim, ut arguit Philosophus l. cit., omnia definita sunt futura vel non futura, minime fieri poterit ut res aliter se habeat, et sic contingentia nulla esset in rebus, quod est maximum inconueniens.

Respondeo. Quod Aristoteles conatur ostendere, nimirum propositionum contradictoriarum de futuris contingentibus neutram esse disjunctive veram, *si absolute et absque ulla limitatione intelligatur*, est manifeste falsum; perinde enim esset id affirmare, ac fateri nullam infallibilem scientiam, ne divinam quidem, de rebus huiusmodi

dari posse. Quare si haec fuit mens Philosophi, ab omnibus catholicis philosophis hac in re deseri debet, nec ratio proxime allata ullo modo rem evincit, quam propterea Doctor Seraphicus merito sophisticam appellavit. (1. *Dist.* 38. a. 2. q. 1. ad 3.) Necessitas enim, quae inde ducitur, minime est antecedens, sed consequens ipsam rei futuritionem; quia nempe *quod est, si ponatur esse, nequit non esse*, in quo certe nulla est difficultas, ut egregie admodum declarat Boëthius. (*De Consol.* lib. 5. pr. 6.) Quod si sententia a Philosopho loco citato exposita sic mitigetur, quemadmodum plures Doctores eum exponunt, ut id intelligatur vel de veritate a nobis naturaliter dignoscibili, vel de veritate causali, quam videlicet res habet prout est in suis causis, verum profecto est, quod sic exponendo dicitur, sed merito dubitari potest, num haec reipsa sit, nec ne Philosophi mens, ut recte expendit Suarez. (*Op. De scientia divina*, lib. 1. c. 2. n. 10, 11, 12.) Quare tutius est fateri, Philosophum hac in re minime fuisse philosophum et graviter deceptum fuisse. Quod vero spectat Doctorem Angelicum, quid ipse senserit, nemini dubium esse poterit, qui mente sincera suis ipse oculis lustrare voluerit testimonia, quae hac in re ex eius operibus proferri queunt, ex. gr. quae data opera tradit. (1. *Dist.* q. 38. q. un. a. 5. — *Qq. Disp. Verit.* q. 2. a. 12. — 1. *Cont. Gent.* c. 67. coll. 3. lib. c. 154. *Non autem propter hoc prophetiae donum*. — *Summa th.* 1. p. q. 14. a. 13., q. 47. a. 3. — *Op. 1. Compend. theol.* cc. 133, 134.) Aliqua forte obscuritas ingeri potest ex iis tantum, quae habet in testimonio proxime obiecto, nimirum. (1. *Periher.* lect. 13.) Ceterum, si ea non seorsum, sed una cum iis, quae idem S. Doctor habet lectione immediate sequenti, attente legantur, obscuritas omnis plene dissipabitur. Nempe sedulo distinguere oportet duas partes in citata duplici lectione. Prior est ab initio lect. 13. usque ad illa verba lectionis sequentis, videlicet *Est autem considerandum, quod sicut Boëthius*. In hac porro agit munus interpretis, ut patet legenti. Altera vero pars incipit a verbis modo recitatis usque ad finem libri, et in hac

certissime loquitur ex propria sententia, ut etiam patet legenti. Quocirca si alicui videri queat ea, quae posteriori loco *propria*, *certissima*, et *nitidissima* affirmatione dicit, difficulter conciliari posse cum iis, quae in priori parte continentur, fateri oportebit haec, quae interpretando dixit, non ex propria Aquinatis sententia dicta fuisse, sed *ex mente Philosophi*, quem in hac re gravissime errasse plures neque ignobiles Doctores existimant. Sed de hac re satis superque.

SECTIO III.

De varietis status respectu veritatis assequendae.

218. **Triplex dispositio mentis respectu veritatis.** — Triplex generatim habitudo seu dispositio distingui potest in mente respectu veritatis, ad quam cognoscendam est ordinata. Prima est, quam ab infantia sortimur, *ignorantiae* videlicet, per quam notitia rerum omnium orbamur. Altera dispositio habetur quando veritatem cognoscimus, sive assequimur. Tertia denique est, quando mens a tramite veritatis per errorem deflectit. Porro manifestum est, priorem habitudinem esse privativam; dicit enim carentiam scientiae in subiecto apto: aliae vero duae sunt invicem contrariae, per accessum videlicet et recessum a termino, quem tententia mentis praestitutum habet. In praesenti articulo ac tribus aliis sequentibus loquemur de statu assequitionis veritatis; deinde vero de ignorantia et errore.

219. **Triplex mentis status veritatem assequentis.** — Ex iis, quae in superioribus explicata sunt, patet mentem tum primo veritatem cognoscere cum iudicium efformat rebus consumum. Quoniam vero modus operandi humani intellectus est successivus, hinc ad plenum iudicium de veritate per gradus veluti quosdam pedetentim adducitur.

Iam age, huiusmodi gradus tres potissimum enumerantur. Nam primo quidem veritas cognoscenda menti proponitur quidem, sed ad modum quaestionis dumtaxat ita, ut mens haereat anceps inter utramque contradictionis partem, quin iudicium ferat sive pro una, sive pro altera. Hic est status seu dispositio mentis *dubitantis*. Secundo contingere potest, ut mens pronuntiet iudicium pro altera contradictionis parte, quin tamen ei totaliter adhaereat propter oppositi formidinem seu timorem. Tunc mens dicitur *opinari*. Denique fieri potest, ut mens plenum iudicium proferat firmiter adhaerendo uni parti contradictionis sine ulla formidine de altera. Haec est postrema et perfecta dispositio mentis respectu veritatis, ac *status certitudinis* nuncupatur. Iam vero de triplici hoc statu plura distincte ac diligenter notari debent.

220. **Dubium.** — Definitur: *Suspensio iudicii inter utramque contradictionis partem*. Id vero dupliciter contingere potest. Primo quidem quando pro neutra contradictionis parte adsunt motiva, quae assensum utcumque suadeant; puta, si menti proponatur haec quaestio, videlicet *num stellae sint numero pares nec ne?* Secundo, si pro utraque contradictionis parte adsunt rationes ad assensum inclinantes, quae tamen mutuo se elidant ac mentem in suspensio relinquant; quemadmodum saepe contingit quando veritatem inquirimus, quaestione proposita nondum sive certo sive opinative resoluta. Prior dubitatio *negativa* dicitur a pluribus, altera *positiva*. Apud S. Thomas. * Quandoque (intellectus) non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem aequalitatem eorum quae movent ad utramque partem; et ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. » (Qq. Disp. *Verit.* q. 14. a. 1.) Hinc essentiale est huic statui seu dispositioni mentis, ut iudicium nullum proferat, neque pro una, neque pro altera contradictionis parte: secus iam non amplius dubitaret tantum, sed opinaretur. Quandoque vero, etsi mens nihil

iudicat, inclinatur tamen ad unam partem potius quam in aliam. Propensio istiusmodi *suspicio* nuncupatur.

221. **Opinio, formido.** — Opinio communiter definitur: *Adhaesio mentis uni parti contradictionis cum formidine oppositae*. Ad rem S. Thomas. * Opinio est de uno ad duo: est enim de principiis ad conclusionem cum formidine alterius; et sic sunt ibi tria, principium et duae conclusiones, et una conclusa, et alia formidata. » (1. De Anima, lect. 4.) Quid vero proprie sit *formido*, quae differentiam quasi specificam opinionis constituit, acute et egregie declaravit J. B. De Benedictis. * Formido nomen est proprie spectans ad appetitum: idem enim est ac timor. Quod si ad intellectum in casu spectat, non est, quia in intellectu sit actus, sed obiectum formidinis, quatenus formidatur de malo intellectus, quod est falsum. Minus proprie igitur formido potest pertinere etiam ad intellectum; estque ille actus, qui formidinem voluntatis proprieque dictum timorem inducit, adeoque est formido non formaliter sed causaliter. Porro timor ex imaginatione futuri mali est, non cuiuscumque sed propinqui. *Timemus enim*, inquit Philo. (2. Rhet. c. 5.), *ea quae non longe absunt, sed prope videntur ut iam impendeant. Remota namque nimium non timent: omnes enim sciunt se morituros; verum quoniam non prope, idcirco non curant*. Quare illud iudicium timorem in casu determinabit, quo iudicatur propinquitas erroris et falsitatis, quae et periculum dicitur, quod et describitur ibidem *timendae rei appropinquatio*. Sit igitur formido intellectualis in re nostra iudicium, quo intellectus affirmat versari se in periculo errandi. » (Op. cit. to. 1. lib. 4. c. 3.) Ex hac doctrina colligitur, duo iudicia intervenire in statu opinionis: alterum *directum* de veritate circa quam opinio versatur; alterum *reflectum* de erroris periculo. Iam vero quoties mens in iudicio ferendo permovetur ex motivo aliquo infirmo, quod nimirum falsitatis periculum non excludit, praedicta duo iudicia semper coniungi queunt, sed non semper actu coniunguntur. Optime enim fieri potest, ut ex pondere motivorum permoveatur ad iudicandum, fal-

sitatis tamen periculum vel non advertat vel ex voluntatis imperio spernat: quo in casu quaedam adhaesio mentis exurgit sine actuali formidine, quae *opinio* dici potest *imperturbata*. Quare de essentia actus seu iudicii opinativi non est formido *actualis* sed *radicalis* dumtaxat.

222. **Diversae species opinionis.** — Opinio potest dupliciter considerari, h. e. in ordine ad suam *materiam*, et in ordinem ad suum *motivum*. Primo modo considerata potest esse vera vel falsa. Opinio falsa dicitur *error*, h. e. assensus falsae propositioni adhibitus vel dissensus verae. Alio modo considerata vel est *prudens* vel *imprudens*. Prudens dicitur; si non temere sit concepta sed gravi motivo fulciatur, cuiusmodi solet esse illud, quo viri prudentes moventur: secus erit *imprudens*. Opinionis prudentis motivum *probabilitas* dici solet. Probabile enim idem est ac dignum quod probetur; tale autem est, si motivo gaudet, quod assensum viri prudentis mereatur. Hinc sequitur, opinionem posse esse falsam et prudentem, et vicissim veram et imprudentem. Haec modo indicasse sufficit: paulo enim inferius quae huc spectant declarabuntur.

223. **Status certitudinis.** — Ex his, quae modo de opinionis natura declaravimus, haud difficile erit explicare, in quo vere et proprie dicta certitudo reponi debeat. Iam vero certitudo mentis communiter concipitur, ut quid de se firmum et immobile, ac intellectui tribuitur quando totaliter adhaeret uni parti contradictionis. Porro, hoc ut habeatur, duo requiruntur. Primo, ut mens obiecto adhaereat quin de opposito formidet. Secundo, ut haec formidinis exclusio non sit mere *per accidens*, nimirum ex inadvertentia mentis vel pervicacia voluntatis, sed *per se*, pro eo quod actus, quo quis obiecto adhaeret, sic mereatur: secus non habebitur status adhaesionis de se firmus et immobilis. Formidinis autem exclusionem non meretur nisi actus, quo quis obiecto adhaeret ex motivo falsitatis periculum excludente [221]. Status proinde certitudinis proprie talis is dicendus est, *in quo mens obiecto adhaeret absque errandi formidine et sine falsitatis periculo*.

224. **Certitudo adhaesiva, inhaesiva, et obiectiva.** — Ex tradita descriptione status certitudinis patet, tria ad eum efformandum concurrere, quorum singulis certitudinis nomen secundum analogiam attribuitur. Primum est ex parte ipsius mentis, quae obiecto totaliter adhaeret, h. e. absque ulla formidine de opposito. Haec certitudo nuncupatur *adhaesiva*, vel etiam *subiectiva*, quippe consideratur in ipsa mente, quae firmiter adhaeret et certa efficitur. Alterum habetur in ipso assensu, quo mens obiecto adhaeret, quatenus est de se irrepudiabilis, utpote suapte natura necessario verus [208]. Haec dicitur certitudo *inhaesiva* seu etiam *formalis*: est enim firmitas ipsius actus, qui in subiecto est et quo mens adhaeret obiecto, Tertium denique certitudinem constituit, quae *objectiva* dicitur, et aliud non est, nisi ipsa infallibilis enuntiabilis de quo certitudo habetur. Ut vides, haec tria ita sunt invicem comexa, ut tertium per se sit causa secundi, atque hoc per se sit causa primi.

SECTIO IV.

Utrum philosophus debeat aut possit de omnibus dubitare.

225. **Certitudo vulgaris et philosophica.** — Ad praesentis quaestionis intelligentiam praemittere oportet distinctionem, quae communiter tradi solet *philosophicae* a *vulgari* certitudine. Iam age, certitudo vulgaris nuncupatur, quam communiter homines consequuntur absque speciali studio ope naturalis rationis, prout sponte sua evolvitur atque operatur. Quae vero reflexione mentis habetur, et accurata consideratione causarum, unde gignitur, certitudo *philosophica* dici solet vel *scientifica*. Quapropter utraque a natura profisciscitur, videlicet ex rationis lumine cuique naturaliter insito, sed non eodem modo eademque

perfectione. Nam prior certitudo est commune patrimonium humani generis, unde *sensus naturae communis* dici solet: altera quorundam dumtaxat, eorum videlicet qui scientiarum studio dant operam. Praeterea certitudo vulgaris prima rationis principia, et conclusiones quae inde proxime derivantur respicit: scientifica vero multo plura complectitur pro maiori vel minori studio et ingenii perspicacia, qua quis ad scientiam acquirendam appellat animum. Postremo, etsi considerantur respectu unius eisdemque veritatis circa quam utraque versatur, discrimen quoddam invenitur. Qui enim ope solius communis naturae sensus de veritate aliqua certus est, motivum utique habet cui recte innititur, sed plerumque non ita distincte percipit, ut possit illud explicare vel vindicare, et quamvis generatim sciat, sophismata quae contra oggeruntur demonstrationes non esse, sed vana argumenta, in quo tamen haec sophismata speciatim peccent, determinare nequit. Ad haec praestanda studiosa reflexione opus est, quae certitudinem parit scientificam.

226. **Scepticorum pronuntiata.** — Quoniam ars naturam supponit et aemulatur, qui vere philosophus seu sapiens esse velit, in sua investigatione naturalem certitudinem destruere non debet, sed tueri ac perficere. Contra hanc rectissimam regulam generatim peccant qui *sceptici* vocantur; generalem enim dubitationem de omnibus obtrudere conantur, atque adeo certitudinem quamlibet ab humana mente, quantum in ipsis est, extirpant.

E veteribus, qui eiusmodi universalem dubitationem loco scientiae sufficere tentarunt, Pyrrhonicus et Academicus nominantur. Generale pronuntiatum prioris sectae, quae ab eius fundatore vel praecipuo defensore Pyrrone nomen accepit, hoc fuit: sapientis esse rerum quidem apparentiam non denegare, sed utrum sint nec ne quomodo apparent, non indicare; et per haec assensus retentionem (ἐπιτηδία), animi imperturbabilitatem, et affectum moderationem, et sic felicitatem obtineri. Non negabant tamen veritatem aliquandam obtineri posse; unde ipsi proprie *σκαπτικαί*, seu *quaesitores* dicti sunt. Acade-

mici vero, duce Archesila et Carneade, id quoque inficiati sunt. Isti etiam, ut primum sapientiae pronuntiatum adstruxerunt, omnia incerta esse, ac nulli rei sapientem assentiri debere. Concesserunt tamen *probabile*, seu *verisimile*, ut illud inquiramus et secundum illud operemur. Cf. Augustinum. (*Contra Academ.* lib. 2. c. 5. 6. 11. 12.) Quae porro utriusque sectae patroni in confirmationem huiusmodi sapientiae attulerunt, diligentissime collegit, et pro viribus tueri conatus est Sextus Empiricus in suis operibus, ubi etiam totam veteris scepticismi historiam relatum invenies.

Ecclesia Catholica per orbem diffusa, scepticorum placita per totam mediam aetatem fere oblivioni tradita fuere. Sed scissione protestantica peracta, ac recentiori philosophia loco scholasticae multis in locis suffecta, iterum haec scientiarum pestis grassari coepit. Auctores praesertim numerantur Baylius, et Humius: sed omnem modum praetergressi sunt transcendentales, duce Kantio, qui propriam etiam existentiam phaenomenicam effecere, ac talem induxerunt scepticismum, quem nec Pyrho nec Sextus Empiricus nec quisquam antea excogitaverat.

THESIS III.

Dubitatio universalis, quam sceptici obtrudere conantur, tanquam bonis moribus ac naturae humanae mentis adversa, est plane reiicienda.

227. *Probatur I. pars.* — Mens enim ipsius naturae ductu sufficienter evoluta circa non pauca certitudinem assequitur, quae *vulgaris* nuncupatur. Huiusmodi sunt quae per se patent, vel inde facili et omnibus obvia ratiocinatione deducuntur. Atqui quae sunt huiusmodi serio velle in dubium revocare recto morum ordini adversatur. Et re quidem vera

I. Quemadmodum prudenter se gerit qui assensum

cohibet in iis, quae assensum non merentur, ita stultus est qui formidare conabitur de iis quorum veritas in tota sua luce perspicue elucescit menti, quaeque propterea nullum formidinis motivum exhibent. Atqui sic se habent plurima quibus vulgari certitudine universum humanum genus assentitur.

II. Si quis talia in dubium revocare velit, consequenter formidare debet etiam, num ex gr. parentes ac Deus ipse sint colendi, num honestum a turpi discernitur, atque illud faciendum, hoc vitandum, et alia generis eiusdem, quibus tamquam fundamentalibus principiis moralis ordo totus superstruitur. Atqui si fundamentum nutet, id quoque, quod eo sustinetur, vacillet necesse est.

III. Ut inordinatum ac turpe est oculos sibi voluntarie effodere ne videat, ac mortem sibi inferre ne honeste vivat, ita potiori iure est plane inordinatum oculos ac vitam mentis sibi adimere, cognitionem veritatis sibi reddendo impossibilem. Atqui qui serio velle de omnibus dubitare, quantum in se est, viam veritatis cognoscendae sibi praeludit. Ut enim praeclare observat S. Thomas: *Dubitatio de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, et eundem effectum demonstrat. In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid simile his, qui sunt stricte ligati. Sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem, ita ille, qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundum viam speculationis.* (3. *Metaph.* lect. 1.) Neque in praesenti adhiberi potest remedium, quod ibidem ab Angelico Doctore indicatur, videlicet speculandi causas dubitationis ut solvantur. Hoc enim ut praestetur, quibusdam principiis opus esset, in quibus mens eandem infirmitatem non patitur: hoc autem ab eo, qui universalem scepticismum profiteretur, minime conceditur.

228. *Probatur II. pars.* — Ratio est, quia intellectus, cum sit facultas cognoscitiva, non est liber ut voluntas, sed a suo obiecto necessario determinatur. Quamobrem sicut quando obiectum perfecte ei applicatur seu

manifestatur, perfecte sen totaliter ei adhaeret, atque adeo certus est, ita formidinem nullam concipere potest, quando nullum ex parte obiecti motivum formidandi se offert. Id porro contingit in iis, quae perspicua sunt omnino. Dubitatio proinde in talibus est contra naturam mentis, et e converso certitudo eam necessario consequitur. Hinc Tullius. * Necessè est, ut librum ponderibus impositis deprimi, ita animam perspicuis cedere. (Academ. lib. 3.) Id etiam manifestè comprobatur ipsa scepticorum agendi ratione. Communibus enim vitae usibus se accommodant, neque sperant ex. gr. se victuros si non se alèrent, aut somnos caperent, aut ex altissima rupe se praecipites dare vellent.

Confirmatur haec doctrina ex profunda observatione Doctoris Angelici. * Natura, ait, in omnibus suis operibus bonum intendit, et conservationem eorum, quae per operationem naturae fiunt: et ideo in omnibus naturae operibus semper principia sunt permanentia et immutabilia et rectitudinem conservantia; principia enim manere oportet, ut dicitur in 1. Physicorum. Non enim posset esse aliqua firmitas vel certitudo in his, quae sunt a principiis, nisi principia essent firmiter stabilita. Et inde est, quod omnia mutabilia reducuntur ad aliquod primum immobile: inde est etiam, quod omnis specifica cognitio derivatur ab aliqua certissima cognitione, circa quam error esse non potest, quae est cognitio primorum principiorum universalium, ad quae omnia illa cognita examinantur, et ex quibus omne verum approbatur et omne falsum respuitur. (Qq. Disp. Verit. q. 16. a. 2.)

Solvantur difficultates.

229. Quae in favorem sui erroris a scepticis proponuntur, alia generatim impetunt possibilitatem assequendae veritatis, alia speciatim respiciunt singularum cognoscendi facultatum aptitudinem ad verum capessendum. Hic solummodo prosequemur quae ad primam classem pertinent:

cetera enim in disputatione sequenti clariorem et opportuniorem solutionem habebunt.

Obiectio I. — Scepticorum systema est irrefutabile, quippe nullum principium admittit, unde refutari queat. Ergo prae ceteris admitti debet.

Resp. I. Etiam stipes et asinus convinci nequeunt, nec tamen eorum conditio expetenda est, quippe nec erroris nec veritatis sunt capaces. Id autem, quantum in ipsis est, sceptici efficere conantur, ut qui extra conditionem se constituunt ad usum rationis necessariam. Unde pulchre Augustinus loquens de hac irrefutabilitate scepticorum. * Quid enim, ait, me impedit, quin si huic vanitati resistere velim, facile ostendam, quanto minus malum sit indoctum esse, quam indocilem? Unde fit, ut cum se ille academicus iactantulus quasi discipulum singulis dederit, nemoque illi quod se scire putat, persuadere poterit; magna illorum postea consensione rideatur. Iam enim quisque alium quemlibet adversariorum suorum nihil didicisse, hunc vero nihil posse discere iudicabit. Ex quo deinceps de omnium scholis non ferulis, quod esset deformius quam molestius, sed illorum palliatorum clavis et fustibus proicietur. Non enim magnum negotium erit, contra communem pestem velut herculea quaedam postulare auxilia Cynicorum. (Contra Academ. lib. 3. c. 8.)

Resp. II. *Dist. antec.* Scepticorum systema est irrefutabile, quatenus iis, qui ratione utuntur, nequeat ostendi illud longissime a ratione aberrare, *neg.*; quatenus qui scepticum se profiteatur de errore convinci non possit, *subdist.*; si universalem scepticismum non profiteatur, sed aliqua saltem admittat, *neg.*; si universalem scepticismum profiteatur, *conc. antec. sed neg. suppositum*, posse nimirum dari aliquem qui talis sit ex animi sententia.

Ut notat S. Thomas. * nihil est adeo verum, quin voce possit negari. Nam et hoc principium notissimum, quod *non contingat idem esse et non esse*, quidam ore negare. Quaedam vero adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt; et ideo in interiori ratione eis obviari non potest, sed solum exteriori quae est per vo-

cem. Et huiusmodi sunt communes animi conceptiones. (1. *Poster. Analyt.* lect. 9.) Hinc nemo est, qui interius aliqua, tanquam certa non admittat, ex quibus ad suum errorem in ceteris cognoscendum manuduci possit. Quod vero spectat exteriorem disputationem, diversimode res habet, prout ex pertinacia vel ex ignorantia decipiuntur. Apposite rursus Angelicus Doctor. * Si qui incidunt in praedictas opiniones (h. e. negantium principia), non propter aliquam rationem, ita quod ex pertinacia non concedant aliquid neque inquirent rationem eorum quae dicuntur, sed pertinaciter adhaerent his, quae opinabantur, non facile est eis solvere huiusmodi opinionem. Omnis enim ratio et demonstratio fit hoc modo: scilicet concedendo et exquirendo rationem alienius dicti. Sed illi qui nihil concedunt, interimunt disputationem et omnem argumentativam rationem. Unde ad eos non potest haberi sententia ratiocinationis, per quam a suo errore tollantur. Sed si aliqui sunt, qui dubitant propter aliquos defectus, puta, quia non bene aliqua intelligunt, facile est obviare tali errori, solvendo ea quae faciunt in eis dubitationem. (11. *Metaph.* lect. 6.)

Obiectio II. — Scepticus, cum nulli rei assentiat, quantum est ex vi suis systematis, ab omni errore est immunis. Ergo eius agendi ratio optima est.

Respondeo. *Neg. tum antec. tum consequ.* Nam primo, falsum est scepticum, qua talem, nulli rei assensum adhibere. Saltem enim de hoc iudicat, videlicet *de nulla re iudicandum esse*. Secundo, falsum est, eum qui de omnibus ambigit ab omni errore immunem esse. Qui enim dubitat, in actu exercitio saltem dicit ac pronuntiat incertum esse id de quo dubitat; atqui huiusemodi sententia falsissima plane est ac errore plena. Denique etiamsi concederetur per talem agendi rationem errorem devitari, non propterea quis in optima conditione constituitur. Perfectio enim propria mentis est veritatis asequutio, non mera erroris absentia, qualis in pueris etiam invenitur.

Obiectio III. — Si veritatis asequutio homini possibilis foret, non extitissent plane innumerae philoso-

phorum sectae sibi invicem contradicentium. Atqui huiusmodi sectas numerare impossibile est.

Respondeo. *Neg. antec.* Ut enim ex doctrina Philosophi praeclare observat S. Thomas: * Interiora domus difficile est scire, et circa ea facile est hominem decipi. Sed sicut circa ipsum introitum domus, qui omnibus patet et primo occurrit, nullus decipitur, ita etiam est in consideratione veritatis. Nam ea, per quae intratur in cognitionem aliorum, nota sunt omnibus; et nullus circa ea decipitur: huiusmodi autem sunt prima principia naturaliter nota, ut non esse simul affirmare et negare, et quod omne totum est maius sua parte, et similia. Circa conclusiones vero, ad quas per huiusmodi quasi per ianuam intratur, contingit multoties errare. Sic igitur cognitio veritatis est facilis, in quantum scilicet ad minus istud modicum, quod est principium per se notum, per quod intratur ad veritatem, est omnibus per se notum. (2. *Metaph.* lect. 1.)

Obiectio IV. — Saepe putamus nos demonstrare et scire, cum ita non sit. Ergo, ut prudenter agamus, de omnibus dubitare oportet.

Respondeo. *Dist. antec.* Ex mentis inconsideratione vel passione, de qua optime consilii esse possumus, *concl.*; quoties considerate iudicamus et animo a praedubiis et cupiditatibus libero, *neg.*

Ex eo quod dormiens quis affirmet se volare et in hoc fallatur, non ideoque idem vigilans et affirmans se vigilare de hoc unquam dubitabit, sed ridebit potius, si quis id velit ipsi in dubium revocare. Quapropter unusquisque sibi conscius est, se aliter omnino affici in iis quae reipsa evidenter sunt, et quae propterea reipsa sciuntur vel demonstrantur, ac in iis quae ex inconsideratione vel passione sic nominantur quin sint huiusmodi.

Obiectio V. — Philosophum non decet, ut aliquid admittat non demonstratum. Atqui prima demonstrationis principia sunt indemonstrabilia. Ergo a philosopho admitti non possunt, et consequenter nec cetera.

Respondeo. *Neg. maiorem.* Quemadmodum quae per

se lucent, non opus est ut lucem ab aliis mutuentur, sed haec potius ab illis illuminantur; ita prima demonstrationis principia per se ipsa menti collucent, ac propterea non demonstrantur sed demonstrant. Oppositum contendere, quemadmodum demonstrationem, ita philosophiam quamlibet facit impossibilem, ac propterea sapientia non est, sed stultitia.

SECTIO V.

De speciebus humanae certitudinis.

230. **Undenam specifica diversitas in actum certitudinis derivetur.** — Assensus firmitas, quae est de ratione certitudinis, ex iisdem causis dependet, unde ipsemet assensus esse habet. Quemadmodum vero cognitio, ita eius certitudo, gignitur ex subiecto cognoscente et obiecto cognito. Ex parte subiecti cognoscentis influit in cognitionem primo quidem eius essentia seu natura, quippe quae est principium primum operationis propriae in unoquoque; tum vero lumen, quo obiectum manifestatur, et quod dispositionem proximam constituit, qua subiectum fit idoneum ad cognitionem eliciendam. Ex parte vero obiecti certitudinem causat ipsa enuntiabilis infallibilitas [224], quae propterea certitudo *obiectiva* nuncupatur. Quare quo nobilior est essentia subiecti intelligentis, quo praestantiori lumine illustratur ad veritatem perspicendam, quo denique magis intimus ac necessarius est nexus subiectum inter et praedicatum, qui ad assensum movet, eo maior certitudo habeatur oportet. Hoc autem non ita est intelligendum, quasi in ipsa exclusionem formidinis, in se inspectae, detur magis vel minus; negationes enim et privationes in se ipsis consideratae consistunt in indivisibili: sed inspicere oportet positivam perfectionem assensus et adhaesionis, cui formidinis exclusio debetur. Appo-

site Suarez. " Licet certitudo per privationem explicetur, quam significat infallibilitas, nihilominus non consistit formaliter in privatione sed in positiva perfectione, quae potest esse maior et minor iuxta excellentiam actus et causarum eius: sicut substantia immaterialis magis vel minus perfecta quoad spirituales suam entitatem esse potest, licet privatio materiae, quae nomine immaterialis substantiae significatur, in omnibus aequalis esse videatur. (Tract. *De Fide*, D. 6. sect. 3. n. 8.)

231. **Causae per se humanae certitudinis.** — Cum in praesenti agamus de certitudine naturali humanae mentis, quam videlicet connaturalibus suis viribus obtinere potest, manifestum est non dari specificam diversitatem in ea ex parte subiecti. Licet enim *per accidens* variari possit certitudo ex ingenio maiore vel minore, ex attentionis gradu, speculationis exercitio, aliisque huiusmodi, haec tamen specificam diversitatem non faciunt in firmitate actus. Causa enim, unde haec per se dependet ex parte subiecti, eadem est in omnibus hominibus, quippe eadem essentia iisdemque facultatibus cognoscitivis fruuntur. Quaestio proinde exurgit, num specifica diversitas in humana certitudine habeatur ex motivo, quod ex parte obiecti ad assensum pertrahit. Ad huius proinde quaestionis resolutionem sequentem propositionem stabilimus.

THESIS IV.

Triplex in humana mente certitudo proprii nominis est agnoscenda, specie differens, videlicet metaphysica, physica, et moralis, quarum una alteri praestat.

232. **Declaratio.** — Quoniam propositae thesisi probatio tota fere pendet ex terminorum explicatione, haec animadvertas.

I. Triplex distingui solet *impossibilitas*, nimirum me-

taphysica, physica, et moralis. Metaphysice, sive etiam absolute, impossibile dicitur aliquid, quia praedicatum repugnat subiecto, ut *hominem esse asinum*. Physice vero impossibile habetur aliquid, quod fieri nequit servato ordine legum naturalium: puta, *mortuum reviviscere*. Moraliter denique impossibile illud censi solet, quod adeo est difficile, ut nunquam aut fere nunquam contingat. Hoc postremum potissime consideratur in actionibus humanis, seu moribus; dicitur enim moraliter impossibile illa actio, quae licet virtutem intellectus aut voluntatis non excedat, adeo tamen est difficilis propter adiuncta, quae eius exercitium praepediunt, ut vix ac ne vix quidem exerceri contingat: ex. gr. quod *mater odio habeat filium*.

II. Cum *necessarium* dicatur quod non potest non esse [119], hinc per oppositionem ad tres modos impossibilitatis, quos descripsimus, tres modi habentur necessitatis. Quare assensus *necessario verus* hunc triplicem modum necessitatis habere potest, metaphysicum videlicet, physicum et morale, prout enuntiabile oppositum est metaphysice, vel physice, vel moraliter impossibile. Ad rem S. Thomas. "Cum veritas constet in adaequatione intellectus et rei; si consideretur veritas secundum rationem aequalitatis, quae non recipit magis et minus, sic non contingit aliquid esse magis vel minus verum: sed si consideretur ipsum esse rei, quod est ratio veritatis, sicut dicitur in 2. Metaph., eadem est dispositio rerum in esse et in veritate, unde quae sunt magis entia sunt magis vera." (Qg. Disp. *Caril.* art. 9. ad 1.)

III. Quae physice vel moraliter necessaria dicuntur, exceptionem quandoque patiuntur aut pati possunt. Haec vero exceptionis possibilitas, nisi ratio aliqua sit quae suadeat eam reipsam contigisse, non est sufficiens motivum, ut quis formidet quando assensum praebet in rebus huiusmodi. Secus deberem ego ex. gr. etiam formidare, ne forte calamus, qua modo utor ad scribendum, miraculose convertatur in serpentem. Ratio plana est ex iis, quae supra diximus [221]. Absoluta enim ac praecisa

oppositi possibilitas non constituit nisi meram atque absolutam possibilitatem erroris in assensu, quem in rebus huiusmodi praestamus. Atqui talis possibilitas non est *periculum* erroris, quod non in malo mere possibili, sed impendente et appropinquante consistit. Ubi autem periculum erroris abest, formido etiam abesse debet, quippe quae suo proprio motivo destituitur.

IV. Ex dictis facile est explicare, quid nomine certitudinis *metaphysicae, physicae, vel moralis* communi sermone intelligatur. Haec porro distinctio ducitur ex diversitate motivi, quod ex parte obiecti ad assensum pertrahit, prout nimirum eius connexio cum veritate est vel metaphysice, vel physice, vel moraliter dumtaxat necessaria.

233. *Probatio thesis.* — Facile conficitur ex iis, quae in thesis declarationem adducta sunt.

I. Non solum metaphysica, verum etiam physica et moralis certitudo, *vere et proprie* huius nominis vim assequuntur. De ratione enim certitudinis, vere et proprie talis, est ut in assensu quo mens obiecto adhaeret, formido excludatur, idque non per accidens dumtaxat, sed per se, videlicet, pro merito assensus [223]. Atqui non solum in metaphysica, sed etiam in physica et morali certitudine, datur assensus cum descripta formidinis exclusionem. Etenim primo quidem conscientiae testimonium cuique dictat, se citra ullam formidinem adhaerere non solum iis, quorum oppositum apparet esse absolute impossibile, sed iis etiam, quorum necessitas physicam vel moralem non excedit, quemadmodum frequenter fit quoad ea, quae renuntiatione sensuum vel aliorum testimonio usurpamus: ac profecto sanae mentis non haberetur, qui, ut formidinem a suo assensu excluderet, absolutam oppositi repugnantiam perspicere vellet. Praeterea huiusmodi exclusio formidinis in talibus non est mere per accidens, quia nimirum ad infirmitatem motivi non advertit, aut ex cupiditate aliqua firmiorem assensum adhibet quam motiva mereantur, sed est per se sive ex merito et dignitate assensus, ut in declaratione thesis observavimus. Quamobrem, si quis huiusmodi iudicia inter *opiniones*

amandare vellet, haud immerito quasi scepticus communi sensu notaretur.

II. Quod vero tres recensitae certitudinis modi specie differant, facile patet. Quae enim per se dependent ex causis specificè diversis, in quantum huiusmodi, specificæ quoque inter se differre debent. Atqui certitudo mentis per se causatur a motivo, quod ex parte obiecti in assensum influat; motiva autem triplicis memoratae certitudinis, qua talia, specificè differunt, prout differunt ipsi ordines necessitatis qua gaudent. Ex eadem ratione probatur metaphysicam certitudinem physicae, atque hanc morali praestare: firmior enim est necessitas absoluta prae necessitate relativa ad ordinem causarum naturalium, atque haec prae difficultate illa, quae moralem impossibilitatem inducere solet. Hinc diversum modum infallibilitatis habent, pro diversitate ordinum, quibus continentur, eorumque unus altero praestantior est.

Solvuntur difficultates.

234. *Obiectio I.* — Constantia legum naturalium a divina sapientia exigitur, ac propterea metaphysice certa dici debet. Atqui assensus, quos physice certos dicimus, in praedicta constantia imitantur. Ergo certitudo physica, prout a metaphysica distinguitur, nulla est. Idem proportione debita dicatur de morali certitudine.

Respondeo. *Dist. min.* Quatenus non aliud enuntietur nisi huiusmodi leges esse constantes, *neg.*; quatenus in casibus particularibus, in quibus de exceptione non constat, iudicium feratur hisce legibus conforme, *con.*

Duplex iudicium distinguere oportet in iis, quae ordinem naturalem spectant. Alterum quo generatim pronuntietur, hunc ordinem esse constantem, ex. gr. quod ignis adurat, corpora sibi relicta decendant, et alia id genus. Alterum vero, quo in casibus peculiaribus, in quibus ratio suspicandi vel dubitandi de miraculo nulla apparet, diudicamus, sic rem habere in individuo, prout generatim

enuntiat in praedictis legibus; ex. gr. si dicamus, *Hic ignis adurit, Hoc corpus sibi relictum decidet, etc.* Iudicia prioris generis metaphysicam certitudinem induere possunt ob sapientiam divinae ordinationis, prout in obiectione dicitur. Sed non idem dici potest de iudiciis secundae classis. Haec porro sunt, quae physicam certitudinem non excedunt.

Obiectio II. — Iudicia haec particularia sensum habent conditionalem sic expressum, *Si miraculum non fiat, hic ignis adurit, hoc corpus decidet, etc.* Atqui tale iudicium non minorem habet certitudinem, quam illud, quo generatim enuntiat constantia legum naturalium.

Respondeo. *Neg. maiorem.* Iudicia, quae physice certa dicimus, non sunt conditionalia, sed *categorica.* Hinc feruntur dumtaxat, ut diximus, quoties nulla occurrit ratio formidandi vel iudicandi de exceptione aliqua miraculosa. Contra, iudicium illud conditionale, quod in obiectione exhibetur, ferri potest etiam in casu, in quo certo constaret de miraculo. Ita, ex. gr. etsi firmissime credimus, sub Hostia consecrata panem non haberi, sed Corpus Christi Domini, possumus tamen veraciter dicere, ibi fore panem *si nihil praeter naturae leges contingeret.* Neque obstat, quod certitudo physica vocetur *hypothetica.* Sic enim vocatur, quia cum miracula non praesumantur sed probentur, in huiusmodi iudiciis ferendis quis iure merito supponit seu praesumit, naturae cursum non esse suspensum, ubi nulla ratio est, unde coniciatur portentum in casu contigisse.

Obiectio III. — In talibus iudiciis, si categorice pronuntientur, semper adest possibilitas formidinis saltem imprudentis. Atqui iudicium vere certum hanc possibilitatem excludere debet.

Respondeo. *Transm. mai. nego minorem.* Possibilitas enim formidinis imprudentis datur saepe etiam in iudiciis metaphysice certis, ut experientia notissimum est. Huius rei causas opportuniori loco agentes de criterio certitudinis, afferemus.

Obiectio IV. — Etiam iudicia, quae intra limites

opinionis continentur, saepe prudentem formidinem excludere merentur, ut patet in iis, quibus agendi ratio moralis communiter dirigitur. Ergo ex huiusmodi formidinis exclusione non satis discernitur assensus vere certus ab opinativo.

Respondeo. *Dist. antec.* Si consideretur ipsum iudicium opinativum, *neg.*; si consideretur iudicium reflexum, quod in priori saepe innititur, et normam prudenter agendi suppeditat, *subd.*; et tale iudicium intra limites opinionis et ipsum continetur, *neg.*; et tale iudicium est vere certum, *conc.*

De essentia opinionis est, ut prudenti cum formidine vel actu coniungatur vel saltem coniungi possit; et per hoc bene discernitur ab assensu vere certo, quippe qui omnem prudentem formidinem excludere meretur. Saepe autem contingit, ut huiusmodi opinio causet iudicium reflexum prudentiae, ut ex philosophia morum suppono, quod quidem iudicium est plane certum ac saepe evidens omnino, a quo proinde omnis formido prudens et quandoque etiam imprudens excluditur. Hinc quandoque certitudo, quae propria est huius postremi iudicii, priori etiam per analogiam quamdam tribuitur, et sic *extenso nomine* certitudo moralis late dicta habetur, quae limites opinionis minime excedit, prout in sequenti sectione melius explicabitur.

SECTIO VI.

De opinione et probabilitate.

235. **Notio probabilitatis.** — Ut supra [222] indicavimus, probabilitas idem sonat ac pondus motivorum, quae adeo gravia sunt ut viri prudentis assensum mereantur. Hinc dupliciter considerari potest, videlicet *secundum se* et *in ordine ad assensum quem meretur*. Si primo modo inspicatur, ea consistit in *motivo fallibili*

quidem, sed absolute ac relative gravi. Dicitur tale motivum *fallibile*, secus enim esset certum, non vero probabile tantum. Dicitur praeterea *absolute ac respective grave*, videlicet tum in se inspectum, tum etiam comparate ad motiva sententiae oppositae. Ut enim opinio probabilitate gaudeat, minime sufficit, rationem aliquam magni ponderis pro ea militare, sed praeterea opus est, ut rationes oppositae sententiae *rationaliter* solvat. Sin vero probabilitas secundo modo consideretur, tunc definitur per ordinem ad prudentem assensum, quem meretur. Est enim viri prudentis non ex praecipitantia aut praeiudicio, sed post maturum examen et sedulam discussionem ex rationabili motivo ad assensum determinari. Iam vero, si probabilitas hoc posteriori modo definiatur, ea rursus dupliciter adhuc distinguere potest. Etenim primo motivum, quo constituitur, considerari potest prout unum prae alio magis minusve afficiat: ex quo fit ut quod uni probabile videtur, ab altero improbabile iudicetur. Secundo, tale motivum potest esse adeo grave, ut humanae mentis ac voluntatis natura *generatim* considerata, valeat ad assensum prudentem movere: et sic Aristoteles opinionem probabilem egregie definiit (1. *Top.* c. 12.), *quae vera videtur omnibus aut plurimis aut sapientibus, atque his vel omnibus vel plurimis vel spectatissimis.* (1)

236. **Probabilitas intrinseca, extrinseca.** — Ex dictis plura facile intelliguntur. Ac primo quidem patet, dupli-

(1) Haec distinctio probabilitatis, *respectivae* scilicet et *absolutae*, saepe numero, in theologia praesertim, etiam in certitudine, proportionem servata, adhiberi solet. Nempe dicitur *relative* certum, quod tali motivo nititur, ut pro capacitate illius, qui eo permovetur, omnem prudentem formidinem ab eius assensu meretur excludere. Est in super *absolute* certum, quod prae quolibet intellectu eam vim habet, ut formidinem omnem, prudentem saltem, expellat. Sic rudes plerumque nec formidant, nec prudenter formidare possunt in multis, in quibus sapientiores, qui penitus rem considerant, cum formidine procedunt. Ceterum respectiva haec certitudo saepe non differt ab opinione illa *imperturbata*, quam supra declaravimus [221]. Confer Card. De Lugo, in Tractata *De Fide Divina*.

cem modum probabilitatis distingui debere, *intrinsicae* nempe et *extrinsicae*. Prior desumitur ab ipsa gravitate motivi, altera vero ex auctoritate fide digna. Ceterum haec posterior supponit priorem. Eatenus enim existimatur probabile, quod aliorum auctoritate innititur, quia talia adiuncta scientiae et probitatis in ipsis elucent, quae iudicio sint eos non temere, sed ex gravi motivo ad sic iudicandum inductos fuisse. Praesumitur proinde intrinsicae, quo extrinseca probabilitas ad assensum moveat.

237. **Principia immediate probabilia.** — Colligitur praeterea aliud maxime notandum, videlicet dari iudicia *immediate probabilia*, sicut dantur iudicia immediate certa. Ratio est quia iudicium probabile deductum necessario supponit vel aliquam praemissam, vel consequentiam saltem, quae sine discursu ac sine certitudine admittatur ex ipsa probabili connexione terminorum. Secus vel admittere oporteret processum in infinitum, vel ratiocinationem, cuius conclusio esset incerta, tametsi tum praemissae tum consequentia pro certis admittantur: porro utrumque est impossibile. Hinc quemadmodum propositiones omnes evidentes ad principia per se nota reducuntur, ita propositiones omnes probabiles ad principia aliqua *per se probabilia* reduci debent. Huiusmodi pronuntiata dicuntur *maximae*, quasi *plusquam maiores*, quippe earum quaelibet plurimas sub se continet sententias magis particulares, quae ad arguendum assumi possunt.

238. **Iudicare probabiliter non est idem ac iudicare aliquid esse probabile.** — Infertur denique, perperam a nonnullis invicem confundi duo valde diversa, videlicet iudicium *de probabilitate* cum iudicio *probabili*. In priori casu, quo videlicet iudicetur aliquid esse probabile, subiectum talis iudicii est integra propositio, de cuius probabilitate iudicatur; praedicatum vero est haec ipsa probabilitas. Unde nihil prohibet, quominus huiusmodi iudicium sit certum et evidens. In secundo casu subiectum iudicii est ipsum subiectum propositionis praedictae, ac similiter praedicatum: probabilitas vero se habet solum ut motivum iudicii. Hoc proinde nequit esse certum,

sed est semper opinativum. Haec notatio prae oculis haberi debet praesertim in moralibus, ut perniciosi errores devitentur, quae secus enasci possunt.

THESIS V.

Duae propositiones contradictoriae possunt esse simul probabiles ita, ut una sit altera probabilior. Potest insuper idem intellectus simul opinative tenere propositionem aliquam tanquam veram, eiusque contradictoriam tanquam probabilem vel probabiliorem.

239. **Demonstratio I. partis.** — Probatio duplex est secundum duplicem modum definitionis probabilitatis, quem supra exposuimus [235].

I. Licet altera pars contradictionis sit probabilis, hoc tamen nihil prohibet, quominus altera etiam fulciatur motivo absolute ac respective gravi. Atqui quod est huiusmodi, iure merito probabile censetur. Ergo utraque pars contradictionis unius eiusdemque enuntiationis potest esse simul probabilis. Minor argumenti est ipsamet definitio probabilitatis absolute consideratae. Maior vera ita evincitur. Nam optime fieri potest, ac frequenter contingit, ut motivum, quo probatur una pars contradictionis, ducatur ex diverso capite ac motivum, quod viget pro altera parte. Atqui est per se manifestum, ex diversis capitibus desumi posse motiva absolute gravia. Ergo potest imprimis utraque pars contradictionis gaudere motivo *absolute* gravi. Quod vero utrumque motivum *respectively* etiam grave esse queat, facile probatur. Nam ut sit huiusmodi, plane sufficit ut altera propositio *rationabiliter* solvat motivum quo opposita fulcitur. Atqui hoc bene fieri potest: tale enim motivum, licet grave, est tamen fallibile; quod vero est huiusmodi rationabiliter solvi potest, ut videre est in plurimis problematibus, quae in utramque partem agitari solent.

II. Probabilis, et quidem simpliciter, censi debet ea propositio, quae vera videtur, prout definit Philosophus, omnibus aut plurimis aut sapientibus, atque his vel omnibus vel plurimis vel spectatissimis. Atqui experientia notissimum est, saepe dari propositiones contradictorias, et tum unam tum alteram veram videri sapientibus plurimis vel spectatissimis, quemadmodum contingere solet in multis in quibus Doctores primae notae mutuo dissentiant.

240. *Demonstratio II. partis.* — Sequitur manifeste ex praecedentibus. Probabilitas enim proportionatur motivo, quo constat. Atqui manifestum est, hoc posse esse magis minusve grave. Ergo e duabus propositionibus contradictoriis una potest esse altera probabilior. Quapropter est plane falsum, quod nonnulli dixerunt, videlicet unam contradictoriam evadere improbabilem eo quod cum probabiliori conferatur. Non enim subobscurior lux in tenebras convertitur eo quod cum vividiore comparetur.

241. *Demonstratio III. partis.* — Asserimus in hac parte, minime esse invicem contraria, ac proinde in eodem intellectu simul cohaerere posse, haec duo iudicia, quorum altero *opinative* tenetur aliqua propositio *tamquam vera*, altero autem tenetur eius contradictoria esse *probabilis*. Cf. quae diximus supra [238]. Ratio porro asserti haec est. Nam eatenus haec bina iudicia ut sibi contraria mutuo se excluderent, qualenus id, quod ab uno affirmatur, ab altero negatur. Atqui hoc non est verum, immo saepe contingit, ut evidens sit probabilitas propositionis, quae contradicit illi, quam quis veram esse existimat. Exemplo res fiet perspicua. Supponamus, ut non raro contingit, Doctores plures omni exceptione maiores aliquam sententiam tueri, nec afferri posse in contrarium rationem ullam vel auctoritatem, quae certa sit vel irrefragabilis. Profecto in huiusmodi adiunctis, nisi quis temere procedat, talem sententiam in probabili numero recensere debet. Hoc tamen minime vetat, quominus sententia opposita ipsi vera videatur sive

ex consideratione rei sive ex sufficienti auctoritate, quae forte etiam in favorem ipsius adsit. Habes proinde dispositionem mentis, qualem hic describimus, qua videlicet e duplici parte contradictionis altera vera, probabilis altera iudicetur, modo iudicium quod fertur de veritate prioris sit opinativum, non certum.

242. *Demonstratio IV. partis.* — Quamvis prima fronte difficile alicui videri possit, aliquem pro vera amplecti sententiam, cuius contradictoria ab ipso tamquam probabilior concedatur, si tamen res attente consideretur, id etiam est plane manifestum. Hoc enim ut habeatur, duo plane sufficient. Primo, ut ex parte obiecti eluceat aliqua ratio, cur aliquis opinetur veram esse propositionem, cuius contradictoria ab eo ut probabilior iudicetur. Secundo, ut ex parte intellectus detur aliquod, quo determinetur ad talem assensum adhibendum. Atqui primum manifeste habetur in casu, quem consideramus. Quamvis enim altera pars contradictionis sit probabilior, potest tamen in favorem alterius partis adesse motivum, et quidem probabile, ad illam opinative tenendam tamquam veram. Alterum vero bene poterit haberi ex voluntate: haec enim in iis, quae evidentialia non sunt, potest intellectum flectere in unam partem contradictionis potius, quam in aliam, ut experientia docet. Id perspicue elucet in materia Religionis. Unde Cardinalis De Lugo ita egregie arguit. "*In rigore loquendo, ait, non est idem aliquam conclusionem absolute, et ut veram statere, ac dicere eam esse probabiliorum quam oppositam. Quod imprimis a posteriori constat in haeretico, cui sufficienter in actu primo proximo proponitur fides catholica, ita ut posset illam amplecti, et per consequens habet iudicium evidens de eius credibilitate, quo evidenter iudicat illam esse prudenter credibilem, imo esse obligationem gravem non credendi doctrinam contrariam, utpote quae prudenter credi non possit: quare iudicat evidenter credibilem esse doctrinam catholicam, quam suam; alioquin non haberet omnia requisita in actu primo ad credendum fide divina. Cum quo iudicio evidenti non potest stare simul iudicium, quo*

dicit credibiliorem esse doctrinam contrariam; non potest enim simul iudicare evidenter maiorem credibilitatem nostrae fidei, et iudicare simul suam sectam esse magis credibilem, quia hoc esset affirmare simul duo contradictoria: et tamen cum illo iudicio evidenti de maiori credibilitate nostrae fidei, et quod doctrina contraria non potest prudenter credi, habet assensum actualem, quo imprudenter credit doctrinam suae sectae. Non est ergo idem credere illam doctrinam, ac iudicare illam esse magis credibilem, sed potest assentiri illi parti, quam simul iudicat esse minus credibilem. Similiter ergo poterit quis assentiri alicui opinioni, quamvis simul cum Ecclesia sentiat contrariam esse probabiliorē, et per consequens non sequitur, quod contradicat Ecclesiae dicenti, illam esse probabiliorē, ex eo quod praestet assensum contrariae, quam Ecclesia dicit esse minus probabilem. (Tract. De Fide Divina, D. 20. sect. 3. n. 121.)

Obiiciet fortasse quispiam. Facile intelligitur qua ratione id locum habere queat in eo, qui temere iudicat. Difficiliter tamen apparet, quomodo, servatis prudentiae regulis, possit quis ut veram amplecti opinionem, quam credit esse minus probabilem; non videtur enim talis iudicandi modus ab omni temeritate alienus.

Respondet, id optime fieri posse non una de causa. Atque imprimis id palam fit omnino in hypothesi, quam subicio. Fac enim sententiam aliquam a multis iisdemque gravissimis viris, communi quasi consensu, pro vera teneri quidem, intra limites opinionis tamen. Fingens praeterea, virum ad id iudicandum idoneum rem attente considerasse, et perpensis motivis, praesertim internis, eam ipsi falsam videri, atque adeo veram eius contradictoriam. Porro, seclusa evidētia, nihil profecto vetat, quominus iste maior in praetio habeat communem fere calculum contra sententiam, quam iudicium suum, ac idcirco apud se dicat: etsi non diffiteor hanc sententiam esse probabiliorē, eam tamen pro infirmitate meae mentis puto esse falsam. Quid, quaeso, in hoc modo iudicandi habetur, quod non sit ad prudentiae regulas plenissime exactum?

Num forte quod probabilius, id continuo est verum? Praeterea notandum est, medium rationis in prudentia, ut in ceteris virtutibus moralibus, suam habere latitudinem. Quare sicut non agit iniuste aliquis eo quod non agat iustissime, ita minime censeri debet actus imprudens propterea quod non sit prudentissimus. Tametsi proinde in allata vel alia consimili hypothesi prudentius forte agit amplectendo, tamquam veram, propositionem probabiliorē, prudenter tamen etiam agere potest adhaerendo, tamquam verae, sententiae minus probabili: movetur quippe motivo absolute et respective gravi. Postremo, (et hoc maxime notari debet), praeter rationes directas, bene possunt in rebus huiusmodi, movere intellectum aliae rationes, eaeque iustae et legitimae, v. gr. quod superior suadeat, quod facilius tollantur scrupuli, vel alliciantur homines ad bona opera, aliaque motiva generis eiusdem. Procul dubio quando inferior suo superiori obsecundat, non solum ob communem illam apprehensionem, qua censetur perperam etiam praecipiente parendum esse, sed eius etiam iudicio subicit suum, ut non modo idem velit, sed idem quoque sentiat, quod superior, atque adeo quaecumque hic mandat ac sentit, eadem inferiori et recta et vera esse videntur, non idcirco haec tamquam probabiliora existimantur aut existimari debent, ac praeferi iis quae alteri superiori aliter videntur. Confer quae praelaudatus auctor scite observat loco citato.

243. *Scholion.* — De opinione unice probabili. Pluries accidit, in re morali praesertim, ut rationes omnes, quae prudentem suadent assensum, sint pro una tantum parte contradictionis ita tamen, ut contineantur intra limites probabilitatis, et earum nulla sit argumentum infallibiliter certum. In hac hypothesi imprimis certum est, alteram partem contradictionis non posse haberi ut probabilem: ad hoc enim non sufficit mera *possibilitas*, ut ita dicam, veritatis, sed requiritur motivum absolute ac respective grave ad illam affirmandam; hoc vero deest in casu, quem consideramus. Deinde certum est etiam, huiusmodi opinionem esse quidem *unice probabilem*, sed